

nunquam benignitatem malitia superabit. «Dilexisti ma-  
» litiam super benignitatem : iniquitatem magis quam lo-  
» qui æquitatem. » Ante te est æquitas, ante te est ini-  
» quitas : unam linguam habes, quo vis eam vertis ; quare  
ergo potius ad iniquitatem, et non ad æquitatem ? Cibos  
amaritudinis non das ventri tuo, et cibos iniquitatis das  
linguæ tuæ malignæ ? Sicut eligis quo vescaris, sic elige  
quod loquaris. Præponis ergo iniquitatem æquitati, et  
præponis malitiam benignitati : tu quidem præponis, sed  
supra esse quid potest nisi benignitas et æquitas ? Sed tu  
imponendo te quodam modo super ea quæ necesse est ut  
deorsum eant, non illa facies esse supra bona, sed tu cum  
eis mergeris in mala.

XI. Propter hoc sequitur in Psalmo : « Dilexisti omnia  
» verba submersionis. » Eripe ergo te, si potes, a submer-  
sione. Naufragium fugis, et plumbum amplecteris. Si non  
vis mergi, tabulam apprehende, ligno portare, crux te  
perducat. Nunc vero quia Doëch es Idumæus, motus et  
terrenus, quid facis ? « Dilexisti omnia verba submersio-  
» nis, linguam dolosam<sup>1</sup>. » Hæc præcessit, verba sub-  
mersionis secuta sunt linguam dolosam. Quid est lingua  
dolososa ? Ministra fallaciæ est lingua dolosa, aliud in corde  
gestantium, aliud ore promentium. Sed in his subversio,  
in his submersio.

XII. « Propterea Deus destruet te in finem<sup>2</sup> : » etsi  
nunc videris virere tanquam fœnum in agro ante æstum  
solis. « Omnis enim caro fœnum, et claritas hominis ut  
» flos fœni : fœnum aruit, et flos decidit ; verbum au-  
» tem Domini manet in æternum<sup>3</sup>. » Ecce quo te teneas,  
ad quod manet in æternum. Nam ad fœnum et ad florem  
fœni si te tenueris, quoniam fœnum arescet, et flos de-  
cidet : « Destruet te Deus in finem : » Et si non modo,

<sup>1</sup> Psal. li, 6. — <sup>2</sup> Ibid. 7. — <sup>3</sup> Isai. xl, 6-8.

certe in finem destruet, quando illud ventilabrum vene-  
rit, et acervus paleæ a massa separatus fuerit. Nonne  
massa in horrea, et palea in ignem<sup>1</sup> ? Nonne totus iste  
Doëch ad sinistram stabit, quando dicturus est Dominus :  
« Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo et ange-  
» lis ejus<sup>2</sup> ? Destruet ergo te Deus in finem : evellet te, et  
» emigrabit te de tabernaculo tuo. » Modo ergo Doëch  
iste Idumæus est in tabernaculo : sed servus non manet  
in domo in æternum<sup>3</sup>. Operatur et iste aliquid boni, etsi  
non factis suis, saltem verbis Dei, ut in Ecclesia quando  
sua quærit<sup>4</sup>, saltem quæ Christi sunt dicat. Sed « Emi-  
» grabit te de tabernaculo tuo. Amen dico vobis, perce-  
» perunt mercedem suam<sup>5</sup>. Et radicem tuam de terra  
» viventium. » Ergo in terra viventium nos debemus ha-  
bere radicem. Radix nostra ibi sit. In occulto est radix :  
fructus videri possunt, radix videri non potest. Radix  
nostra charitas nostra, frustra nostri opera nostra : opus est  
ut opera tua de charitate procedant, tunc est radix tua in  
terra viventium. Inde eradicabitur iste Doëch, nec om-  
nino poterit ibi permanere, quia nec altius ibi fixit radi-  
cem : sed quomodo illa semina in petra, etsi radicem eji-  
ciant, tamen quia humorem non habent, sole orto continuo  
arescunt<sup>6</sup>. At vero illi qui altius figunt radicem, quid au-  
diunt ab Apostolo ? « Flecto genua mea pro vobis ad Pa-  
» trem Domini nostri Jesu Christi, ut sitis in charitate  
» radicati et fundati. » Et quia ibi jam radix : « Ut possi-  
» tis, inquit, comprehendere quæ sit altitudo, latitudo,  
» longitudo et profundum ; scire etiam supereminentem  
» scientiam charitatis Christi, ut impleamini in omnem  
» plenitudinem Dei<sup>7</sup>. » Talibus fructibus digna est tanta  
radix, tam simplex, tam germinans, in germina tam alte-

<sup>1</sup> Matth. iii, 12, et xii, 40. — <sup>2</sup> Id. xv, 41. — <sup>3</sup> Joan. viii, 35. —  
<sup>4</sup> Philip. ii, 21. — <sup>5</sup> Matth. vi, 2. — <sup>6</sup> Id. xiii, 5. — <sup>7</sup> Ephes. iii, 14-19.

fundata. At vero hujus radix eradicatur de terra viventium.

XII. « Et videbunt justī, et timebunt : et super eum » ridebunt<sup>1</sup>. » Quando timebunt? Quando ridebunt? Intelligamus ergo et discernamus duo ista tempora satis utiliter timendi et ridendi. Quandiu enim sumus in hoc sæculo, nondum est ridendum, ne postea ploremus. Legimus quid servetur in finem huic Doëch; legimus, et quia intelligimus et credimus, videmus, sed timemus. Hoc ergo dictum est : « Videbunt justī, et timebunt. » Quandiu videmus quid eventurum sit in finem malis, quare timemus? Quia dixit Apostolus : « In timore et tremore vestram ipsorum operamini salutem<sup>2</sup>; » quia dictum est in Psalmo : « Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore<sup>3</sup>. » Quare, cum timore? « Quapropter qui se putat stare, videat ne cadat<sup>4</sup>. » Quare, cum tremore? Quia dicit alibi : « Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, intendens te ipsum ne et tu tenteris<sup>5</sup>. » Ergo justī qui sunt modo, qui vivunt ex fide, sic vident istum Doëch quid illi eventurum sit, ut tamen timeant et sibi : quid enim sunt hodie, sciunt; quid cras futuri sint, nesciunt. Modo ergo « Videbunt justī, et timebunt. » Quando autem ridebunt? Quando transierit iniquitas, quando transvolaverit, sicut jam ex magna parte transvolavit tempus incertum, quando fugatæ fuerint tenebræ hujus sæculi, in quibus modo non ambulamus nisi ad lucernam Scripturarum, et ideo timemus tanquam in nocte. Ambulamus enim ad prophetiam, de qua dicit apostolus Petrus : « Habemus certiores prophetiam sermonem, » cui bene facitis intendentes, sicut lucernæ lucenti in

<sup>1</sup> Psal. LI, 8. — <sup>2</sup> Philip. II, 12. — <sup>3</sup> Psal. II, 11. — <sup>4</sup> I Cor. X, 12. — <sup>5</sup> Gal. VI, 1.

» obscuro loco, donec dies lucescat, et lucifer oriatur in » cordibus vestris<sup>1</sup>. » Quandiu ergo ad lucernam ambulamus, necesse est ut cum timore vivamus. Cum autem venerit dies noster, id est, manifestatio Christi, de qua idem dicit Apostolus : « Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria<sup>2</sup>; » tunc justī ridebunt istum Doëch. Non est enim jam subveniendi locus : non quomodo nunc, quando vides hominem injuste viventem, vis cum illo laborare ut corrigas; quia qui injustus est, conversus poterit justus esse, quomodo et justus aversus potest injustus esse. Itaque nec de te præsumas, nec de illo desperes; et da operam quantum potes, si benignus es, si non diligis malitiam super benignitatem, ut ambulanti hominem in via mala et erranti corrigas ad viam bonam. Tunc vero cum venerit iudicii tempus, correctionis locus non erit, sed tantum damnationis : et erit ibi pœnitentia, sed infructuosa, quia sera. Vis ut sit fructuosa? non sit sera. Hodie te corrige. Reus es, ille iudex est : corrige reatum, et gaudebis ad iudicem. Hodie enim hortatur te, ne iudicet te; et qui iudex tuus futurus est, ipse est hodie advocatus tuus. Tunc ergo, fratres, restat ridendi tempus. Nam ipsam irrisionem iniquorum quæ futura est justis, significavit liber ille Sapientiæ. In suis enim, in quorum animas transfert se sapientiæ, factura est quod dixit : « Increpabam, et non » exaudiebatis; loquebar, et meis sermonibus non intendebatis, et ego vestræ perditioni superridebo<sup>3</sup>. » Hoc fiet tunc a justis in istum Doëch. Modo autem videamus et timeamus, ne hoc simus quod in eum dicimus : et si hoc eramus, hoc esse desinamus, ut modo timentes, postea rideamus.

XIV. Quid autem tunc dicent qui ridebunt? « Et su-

<sup>1</sup> 2 Petr. I, 19. — <sup>2</sup> Coloss. III, 4. — <sup>3</sup> Prov. I, 24-26.

» per eum ridebunt; et dicent: Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum<sup>1</sup>. » Videte corpus terrenum. Quantum habebis, tantuseris. Proverbium avarorum, rapacium, innocentes opprimantium, res alienas invadentium, commendata negantium. Quale hoc proverbium? Quantum habebis, tantus eris, id est, quantum habueris pecuniæ, quantum acquisieris, tanto plus poteris. « Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum. » Non dicat pauper forte malus, Ego non sum de hoc corpore. Audivit enim Prophetam dicentem: « Speravit in multitudine divitiarum suarum: » continuo si pauper est, attendit pannos suos, respexit juxta se forte divitem in populo Dei ornatus vestitus, et ait in corde suo: De isto dicit, numquid de me? Noli inde te excipere, noli separare, nisi videris et timueris, ut postea rideas. Nam quid tibi prodest, si eges facultate et ardes cupiditate? Quando Dominus noster Jesus Christus abeunti a se illi diviti contristato dixerat: « Vade, vende omnia quæ habes, et da » pauperibus, et habebis thesaurum in cælo, et veni sequere me<sup>2</sup>: » et magnam desperationem divitibus prænuntiavit, ut diceret facilius posse camelum transire per foramen acus, quam divitem intrare in regnum cælorum, nonne continuo Discipuli contristati sunt, dicentes apud se ipsos: « Quisnam poterit salvari<sup>3</sup>? » Ergo quando dicebant: « Quisnam poterit salvari, » divites paucos attendebant, latebat eos tanta pauperum multitudo? Non sibi poterant dicere: Si difficile est, imo impossibile ut intrent divites in regnum cælorum, sicut impossibile est ut intret camelus per foramen acus, omnes pauperes intrent in regnum cælorum, divites soli excludantur? Quot sunt enim divites? At vero pauperum millia innumerabilia. Non

<sup>1</sup> Psal. LI, 9. — <sup>2</sup> Matth. XIX, 21. — <sup>3</sup> Ibid. 24.

enim tunicas inspecturi sumus in regno cælorum; sed vestis cujusque fulgor justitiæ deputabitur: erunt ergo pauperes æquales Angelis Dei, induti stolis immortalitatis fulgebunt sicut sol in regno Patris sui: quid nobis est de divitibus paucis sollicitos esse aut laborare? Non hoc senserunt Apostoli: sed cum Dominus hoc dixisset: « Facilius est camelum transire per foramen acus, quam divitem intrare in regnum cælorum<sup>1</sup>: » illi apud se dicentes: « Quisnam poterit salvari, » quid attenderunt? Non facultates, sed cupiditates. Viderunt enim etiam ipsos pauperes, etsi non habentes pecuniam, tamen habere avaritiam. Et ut noveritis non pecuniam in divite, sed avaritiam condemnari, advertite quod dico: Respicias illum divitem stantem juxta te, et forte in illo est pecunia et non est avaritia, in te non est pecunia et est avaritia. Pauper ulcerosus, ærumnosus, linctus a canibus, non habens opem, non habens escam, non habens forte ipsam vestem, ablatum est ab Angelis in sinum Abraham<sup>2</sup>. Eia tu pauper gaudes modo, numquidnam tibi et ulcera optanda sunt? Nonne patrimonium tuum sanitas est? Non est in hoc Lazaro meritum paupertatis, sed pietatis. Nam vides qui sublatus est, non vides quo sublatus est. Quis est sublatus ab Angelis? Pauper, ærumnosus, ulcerosus. Quo sublatus est? In sinum Abraham. Lege Scripturas, et invenies divitem Abraham<sup>3</sup>. Ut noveris, quia non divitiæ culpantur: habebat Abraham multum auri, argenti, pecorum, familiæ, dives erat, et in ejus sinum Lazarus pauper sublatus est. In sinum divitis pauper: an potius ambo Deo divites, ambo a cupiditate pauperes?

XV. Quid ergo in hoc Doëch culpatur Scriptura? Non dixit: Ecce homo qui fuit dives; sed « Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum, sed speravit in

<sup>1</sup> Matth. XIX, 24. — <sup>2</sup> Luc. XVI, 22. — <sup>3</sup> Gen. XIII, 2.

» multitudine divitiarum suarum. » Non quia habuit divitias, sed quia in ipsis speravit, et in Deo non speravit, ideo damnatur, ideo punitur, ideo movetur de tabernaculo, tanquam motus ille terrenus: « Sicut pulvis quem » projicit ventus a facie terræ<sup>1</sup>, » ideo extirpatur radix ejus de terra viventium. Numquid huic similes sunt divites, de quibus Paulus apostolus loquitur: « Præcipe divitibus » hujus mundi, non superbe sapere, sicut Doëch; neque » sperare in incerto divitiarum<sup>2</sup>, sicut ipse: Speravit in multitudine divitiarum suarum; sed in Deo vivo, non quomodo iste « Qui non posuit Deum adiutorem suum? » Denique illis quid præcepit? « Divites sint in operibus bonis, facile tribuant, communicent<sup>3</sup>. » Et quid, si facile tribuerint, si communicaverint non habenti? Intrabunt per foramen acus? Intrabunt plane: nam et pro illis jam ipse camelus intravit<sup>4</sup>. Ipse enim prior intravit, quem sicut camelum nemo sarcina passionis oneraret, nisi se ipse in terram deponeret. Quia et ipse hoc dixit: « Quod » hominibus impossibile est, Deo facile est<sup>5</sup>. » Damnetur ergo iste Doëch, timeant de illo modo justus, rideant super eum postea justus. Merito enim damnatur: « Qui non » posuit Deum adiutorem suum: » Sicut tu, qui forte habes pecuniam: sed de Deo præsumis; non de pecunia. « Et speravit in multitudine divitiarum suarum: » similis factus est illis, qui cum dicerent: « Beatus populus cui » hæc sunt, » id est, ista terrena, retulit continuo iste qui insultat huic Doëch: « Beatus populus cujus est Dominus Deus ipsius<sup>6</sup>. » Nam illa in quibus dixerunt beatum populum, enumerat Psalmus. Locuti sunt enim tanquam filii alieni, tanquam iste Doëch Idumæus, id est, terrenus: « Os eorum locutum est vanitatem, dextera eo-

<sup>1</sup> Psal. 1, 4. — <sup>2</sup> 1 Tim. vi, 17. — <sup>3</sup> Ibid. 18. — <sup>4</sup> Matth. xix, 26. — <sup>5</sup> Ibid. 27. — <sup>6</sup> Psal. cxliii, 15.

» rum dextera iniquitatis. Quorum filii ipsorum sicut novellæ constabilitæ in juventute sua: filiæ eorum compositæ, et ornatae sicut similitudo templi: cellaria eorum plena, eructantia ex hoc in hoc: oves eorum foecundæ, multiplicantes in exitibus suis; boves eorum crassi: non est ruina sepi, nec exitus, neque clamor in plateis eorum<sup>1</sup>. » Quasi magnam felicitatem videntur habere pacis terrenæ. Sed ille qui terrenus est, etiam motus est, id est, tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ. Denique quid in illis reprehenditur? Non quia ista habuerint; nam et boni habent ista: sed quid? Hoc intendite: ne passim divites reprehendatis, et rursus ne de paupertate et de egestate præsumatis. Si enim non est præsumendum de divitiis, quanto magis non est præsumendum de paupertate, sed de Deo vivo? In quo ergo isti notantur? « Quia beatum dixerunt populum cui » hæc sunt. » Ideo filii alieni, ideo « Os eorum locutum est » vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis. » Tu autem quid? « Beatus populus cujus est Dominus Deus » ipsius. »

XVI. Ergo isto damnato qui « Speravit in multitudine » divitiarum suarum, et prævaluit in vanitate sua: » quid enim vanius eo qui putat plus valere nummum quam Deum? Ergo isto damnato qui dixit beatum populum cui hæc sunt: tu qui dicis: « Beatus populus cujus est Dominus Deus ipsius, » quid de te sentis? quid tibi speras? « Ego autem, » jam modo corpus illud audi: « Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei<sup>2</sup>. » Non unus homo loquitur, sed oliva illa fructifera, unde amputati sunt superbi rami<sup>3</sup>, et insertus humilis oleaster<sup>4</sup>. « Sicut » oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia » Dei. » Ille quid? « In multitudine divitiarum suarum: »

<sup>1</sup> Psal. cxliii, 11-15. — <sup>2</sup> Id. 1, 4. — <sup>3</sup> Id. li, 10. — <sup>4</sup> Rom. xi, 17.

ideo radix ejus evellatur de terra viventium. « Ego autem » quia sicut oliva fructifera in domo Dei, » cujus radix nutritur, non eradicatur : « Speravi in misericordia Dei. » Sed forte modo? Nam et hinc errant homines aliquando. Deum quidem colunt, et non sunt jam similes isti Doëch : sed quamvis de Deo præsumant, ad temporalia tamen ; ut dicant sibi : Colo Deum meum, qui me facturus est divitem in terra, qui mihi filios daturus est, qui mihi uxorem daturus est. Talia quidem non dat nisi Deus, sed non vult se propter talia diligere Deus. Ideo enim sæpe ista dat et malis, ut aliud ab illo discant quærere boni. Quomodo ergo tu dicis : « Speravi in misericordia Dei? » Forte ad temporalia adipiscenda? Imo, « In æternum et in sæculum » sæculi. » Quod dixit in æternum, » repetere voluit adjiciendo « In sæculum sæculi, » ut confirmaret ibi repetendo, quam fundatus esset in dilectione regni cœlorum, et in spe æternæ felicitatis.

XVII. « Confitebor tibi in sæculum, quoniam fecisti<sup>1</sup>? » Quid « fecisti? » Doëch damnasti, David coronasti. « Confitebor tibi in sæculum, quoniam fecisti. » Magna confessio, « Quoniam fecisti. » Quid « Fecisti, » nisi hæc ipsa quæ supra dicta sunt, ut tanquam oliva fructifera in domo Dei, sperarem in misericordia Dei in æternum, et in sæculum sæculi? Tu fecisti : impius justificare se non potest. Sed quis est qui justificat? « Credenti, inquit, in » eum qui justificat impium<sup>2</sup>. Quid enim habes quod non » accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non » acceperis, quasi ex te habeas<sup>3</sup>? » Absit ut ego sic glorier, ait iste qui oppositus est contra Doëch, qui tolerat Doëch in terra, donec emigret ille de tabernaculo, et eradicetur de terra viventium. Non glorior quasi non acceperim, sed in Deo glorior. Et, « Confitebor tibi, quo-

<sup>1</sup> Psal. LI, 11. — <sup>2</sup> Rom. IV, 5. — <sup>3</sup> I Cor. IV, 7.

» niam fecisti, » id est, quia tu fecisti, non ex meritis meis, sed ex misericordia tua. Ego enim quid feci? Si recolas, « Prius fui blasphemus et persecutor et injuriosus. » Tu autem quid fecisti? « Sed misericordiam consecutus » sum, quia ignorans feci<sup>4</sup>. Confitebor tibi in sæculum, » quoniam fecisti. »

XVIII. « Et expectabo nomen tuum, quia jucundum » est<sup>2</sup>. » Amaram est sæculum, sed nomen tuum jucundum. Et si dulcia quædam sunt in sæculo, sed cum amaritudine digeruntur. Præponitur nomen tuum, non solum magnitudine, sed etiam jucunditate. « Narraverunt etenim » mihi injusti delectationes suas, sed non sicut lex tua, » Domine<sup>3</sup>. » Neque enim si nihil dulce esset Martyribus, tantas tribulationum amaritudines æquo animo sustinerent. Amaritudo eorum a quovis sentiebatur, dulcedinem eorum non facile quisquam gustare poterat. Nomen ergo Dei jucundum est amantibus Deum super omnes jucunditates. « Expectabo nomen tuum, quia jucundum est. » Et cui probas quia jucundum est? Da mihi palatum cui jucundum est. Lauda mel quantum potes, exaggera dulcedinem ejus quibus valueris verbis : homo nesciens quid sit mel, nisi gustaverit, quid dicas nescit. Ideo magis ad experimentum te invitans Psalmus, quid ait? « Gustate, et » videte, quoniam suavis est Dominus<sup>4</sup>. » Gustare non vis. et dicis : Jucundum est? Quid jucundum est? Si gustasti, in fructu tuo inveniat, non in solis vocibus tanquam tantummodo in foliis, ne maledicto Domini arescere tanquam illa ficulnea merearis<sup>5</sup>. Gustate, inquit, et videte, quoniam suavis est Dominus. Gustate, et videte : tunc videbitis, si gustaveritis. Homini autem non gustanti, unde probas? Laudando jucunditatem nominis Dei, quan-

<sup>1</sup> I Tim. I, 13. — <sup>2</sup> Psal. LI, 11. — <sup>3</sup> Il. CXXIII, 85. — <sup>4</sup> Il. XXXIII, 8. — <sup>5</sup> Matth. XXI, 19.

tacumque dixeris, verba sunt : aliud est gustus. Verba laudis ejus audiunt et impii : non autem gustant quam jucundum est, nisi sancti. Proinde iste sentiens dulcedinem nominis Dei, et volens explicare, et volens ostendere, nec inveniens quibus : etenim sanctis non opus est ut ostendat, quia et ipsi gustant et norunt ; impii autem sentire non possunt quod gustare nolunt : quid ergo facit de jucunditate nominis Dei ? Tulit se continuo a turbis impiorum : « Et expectabo, inquit, nomen tuum, quia jucundum est, in conspectu sanctorum tuorum. » Jucundum est nomen tuum, sed non in conspectu impiorum : ego quam dulce sit scio, sed his qui gustarunt.

### ENARRATIO

#### IN PSALMUM LII.

##### Sermo ad populum<sup>1</sup>.

I. PSALMUM istum vobiscum tractandum quantum Dominus suggerit, suscipimus<sup>2</sup>. Jubet frater, ut velimus, et orat, ut possimus. Si quid festinatione forte prætermisero, implebit in vobis qui et nobis dare dignatur quod dicere potuerimus. Titulus ejus est : « In finem pro Maëleth, intellectus ipsi David<sup>3</sup>. Pro Maëleth, » sicut in Hebræorum interpretationibus nominum invenimus, videtur dicere, Pro parturiente sive dolente. Quis autem in hoc sæculo parturiant et doleat, agnoscunt fideles, quia

<sup>1</sup> Sermo iste ad populum habitus est rogatu alicujus forsitan episcopi. — Vide D. Guillon, tom. XXI, pag. 515-516. — <sup>3</sup> Psal. LII, 1. —

inde sunt. Christus hic parturit, Christus hic dolet ; caput est sursum, membra deorsum. Neque enim non parturiens et dolens diceret : « Saule, Saule, quid me persequeris<sup>4</sup> ? » Quo persequente parturiebat, eum conversum parturire fecit. Namque et ipse postea illuminatus est, et illis quæ persequebatur membris insertus, eadem charitate prægnans dicebat : « Filioli mei, quos iterum parturio, do- » nec Christus formetur in vobis<sup>5</sup>. » Pro membris igitur Christi, pro corpore ejus quod est Ecclesia<sup>3</sup>, pro uno ipso homine, id est, pro ipsa unitate cujus caput sursum est, Psalmus iste cantatur. Gemit autem, et parturit, et dolet iste homo. Quare, vel inter quos, nisi quia accepit et cognovit a capite suo, dicente : « Abundabit iniquitas, et » refrigescet charitas multorum<sup>4</sup> ? » Si autem abundabit iniquitas, et refrigescet charitas multorum, quis remanebit qui parturiant ? Sequitur : « Qui perseveraverit usque » in finem, hic salvus erit<sup>5</sup>. » Unde esset magnum perseverare, nisi inter molestias et tentationes et turbationes et scandala esset perseverandum ? Nemo enim jubetur bona tolerare. Sed pro isto quia dicitur, et quia pro isto cantatur, videamus quid sit. Pro isto increpantur hic homines, inter quos gemitur, inter quos doletur, et consolatio dolentis et parturientis in Psalmi fine depromitur et exprimitur. Qui sunt ergo inter quos parturimus et gemimus, si in corpore Christi sumus, si sub illo capite vivimus, si in membris ejus deputamur : qui sunt, audi.

II. « Dixit imprudens in corde suo ; Non est Deus<sup>6</sup>. » Tale genus est hominum, inter quos dolet et gemit corpus Christi. Si tale hoc hominum genus est, non multos parturimus ; quantum videtur occurrere cogitationibus nostris, perpauca sunt : et difficile est ut incurramus in homi-

<sup>1</sup> Act. IV, 4. — <sup>2</sup> Gal. IV, 19. — <sup>3</sup> Coloss. I, 24. — <sup>4</sup> Matth. XXIV, 12. — <sup>5</sup> Ibid. 13. — <sup>6</sup> Psal. LI, 1.